UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annus Cisterciensis

In quo Pia, Et Brevi Apostrophe proponuntur Veneranda, & Imitanda Gesta præcipua, & eximiæ Virtutes Sanctorum ac Beatorum utriusque sexûs Ejusdem Sacri, Et Ab Origine Sua Exempti Ordinis

Meglinger, Joseph

[S.l.], Anno MDCLXXXIII.

2. Octobris. 6. Nonas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45314

Visual Library

fragilitatem ſordes lacrymarum Baptiſmo lavem, ut ſic ad Agni nuptias merear intromitti.

B. NEHEMIA, Sancti Malachiæ in Hibernia diſcipule, ſub cujus magiſterio tam egregiè profeciſti, ut inſignia merita te ad Epiſcopalem Sedem Urbis Cluacenſis evocaverint. Ubi tam verbo quàm exemplo oves tibi commiſſas in ſumma ſanctitate paviſti. *Ora pro me, ut & ego exemplo meo proximum ædificem, ut verba mea factis ſint conformia, ut qui me profiteor eſſe Religioſum, dicti mei veritatem actibus comprobem.*

Floruit circa annum 1160.

S. BERNARDUS, ſer. 4. de Adv.

Nullum ego conſilium melius arbitror, quàm ſi exemplo tuo fratrem docere ſtudeas, quæ oporteat, quæ non oporteat fieri, provocans eum ad meliora, & conſulens non verbo neque lingua, ſed opere & veritate.

Exemplo docemus optimè.

2. Octobris. 6. Nonas.

B. GODEFRIDE cognomento Pachomi Monache Villarienſis, qui inter Canonicos Regulares melioris vitæ rudimenta ponens concepto arctioris diſciplinæ deſiderio Villarium

Floruit circa annum 1240.

te contu-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

te contuliſti. Ac ibi Deo ſeptem & quadraginta annis fideliter ſerviens inter alios favores à Matre Miſericordiæ acceptos cognoviſti, tuam animam, cùm à corpore ſeparanda ſit, rectà ad cœlos ſinè ulla moleſtia evolaturam. Enitebat in te ante omnes perfectionis ardores cupido opera non niſi viliſſima peragendi: unde ſi loca ſordibus aut fuligine obſita repurgatione indigebant, quaſi quodam jure tua ſolius hæc ſervitia eſſe volebas. Ne autem parciſſimus ciborum uſus tibi ſoli eſſet proficuus, obtenta ſuperiorum licentiâ meliorem ſemper eorum partem, ſæpè etiam totam, egenis obtuliſti. Morienti viſa eſt Cælitum Regina, undecim millibus Virginum comitata viam tibi ad Cœlos præire. *Etiam mihi præeunt mille exempla, per humilitatis ſcalam ſummos virtutum apices conſecuta. Moveant me hæc tandem, te adjuvante, ut eadem ſtudeam æmulari.*

Promiſſum æternæ ſalutis obtinet.

Cibos cum pauperibus partitur.

Obijt anno 1545.

B. Clara, Bellopratenſis Abbatiſſa, monaſticæ pietatis quoad omnes etiam exiguas partes attentiſſima obſervatrix: Jungebas humilitati genuinum comitem Paupertatem, in veſtitu par minimis ſororibus, ita ut pedum Abbatiale, quod tamen quadraginta annis tenuiſti, non argentum,

ſed ſola

ſed ſola poteſtas ornaret: & opum quidem contemptum remuneratus eſt ſuâ providentiâ DEUS; ad tuas preces tibi indigenti ſubmittens, qui offerrent fænebre aurum, nec cenſum nec ſummam capitalem repetituri. *Iterum novus ad ſectandam animi veram demiſſionem occurrit ſtimulus: cui tu alterum adde Gratiam cœleſtem, ſinè qua hanc licèt facilem viam, calcare fruſtrà tentabo.*

S. BERNARDUS, ſ. 2. in cap. jejun. Humilitas eſt virtus facillima.
Qui contendit ſupergredi proximos, multas inveniet difficultates, multos habebit æmulos, multos patietur contradictores, aſcendentes equidem ex adverſo. Nihil verò facilius eſt Volenti, quàm humiliare ſemetipſum.

3. Octobris. 5. Nonas.

BIRMENGARDIS, Abbatiſſa Poundini in Suevia, quod Monaſterium nobili parenti tuo originem, dotem, téque ipſam debet. Cùm enim Terræ ſanctæ expeditio tibi maritum ſuſtuliſſet, ſacrum itidem bellum tu mundi deliciis indixiſti; quas ut ſecuriùs vinceres Ciſtercienſibus caſtris nomen dediſti, victrix ſimul & fæcunda, *Floruit circa annum 1250.*

heredibus